

cutiorem esse. <sup>a</sup> Sæuum id malique moris etiam furentibus visum. ac spatium fuit, quo Cæsar ab amicis in tabernaculum raperetur. consultatum ibi de remedio. etenim nuntiabatur parari legatos, qui superiorem exercitum ad causam eandem traherent; destinatum excidium Vbiorum oppidum, imbutaque præda manus in direptionem Galliarum erupturas. Augebat metum gnarus Romanæ seditionis, & si omitteretur ripa, inuafurus hostis. at si auxilia, & focii aduersum abscedentis legiones armarentur, ciuile bellum suscipi; periculosa seueritas, flagitiosa largitio, seu nihil militi, seu omnia cõcederentur, in ancipiti Rep. <sup>b</sup> Igitur voluntatis inter se rationibus, placitum vt epistolæ nomine principis scriberentur, missiõnem dari vicena stipendia meritis, exauctorari qui senadena fecissent, ac retineri sub vexillo, ceterorum immunes, nisi propulsandi hostis: legata, quæ petiuerant exolui, <sup>d</sup> duplicarique. Sensit miles in tempus conficta, <sup>e</sup> statimque flagitauit. missio per tribunos maturatur; largitio differebatur. in hyberna cuiusquam non abscessere quintani, vnde uicesimanique, donec iisdem in æstiuis contracta ex viatico amicorum, ipsiusque Cæsaris pecunia persolueretur. Primam ac vicesimam legiones Cæcinnæ legatus in ciuitatem Vbiorum reduxit turpi agmine, cum fisci de imperatore rapti inter signa, interque Aquilas ueherentur. Germanicus superiorem ad exercitum profectus, <sup>f</sup> secundam & tertiam decu-

<sup>a</sup> incerto, &  
no ante reu-  
statu.

## OBSERVATIONES.

*a* Quædam per se adeo sunt atrocia, vt ab ipsis furentibus, fociiisque sceleris sæua, malique moris videantur. at, quid magis sæuum, quidue peioris in omnem posteritatem exempli, morisque est, quam, vt subiectus principis, milesue imperatoris necem non modo non, qua re maxime potest, impediatur, Verum etiam ei gladium, quo se interimat, offerat?

*b* Magna coorta seditione in exercitu valido, eoque qui sua vi cuncta trahere potest, seueritas adeo est periculosa, vt ex ea non nisi pernicies ducis, tribunorum, centurionum, ac denique vastatio prouinciarum, totiusque reip. interitus, proficisci possit. alieno, scilicet, loco ac tempore, adhibetur seueritas erga eum, qui se suasque vires adeo nouit, vt, quicquid penes alios est dignitatis, & auctoritatis, id omne vno suo obsequio contineri sciat; quod si exuat, haud dubie futurum sit, vt statim appareat, illos nulla vi, sed inanibus tantum esse subnixos. Largitio item, siue concessio earum rerum, quæ a militibus seditiosè petuntur, est flagitiosa, i. flagitio, scelere, ac vi, ab imperatore extorta. Itaque cum, si nihil militi, siue omnia concedantur, vtrunque maximum sit periculum; is penes quem est rerum summa, mediam quandam rationem sequi debet, ne nihil sibi tributum esse miles queri possit, nec quicquid sibi collatum est, abstulisse se, insolenter glorietur. Quicquid autem tam periculoso rerum statu decernetur, id agi debet ex dignitate, & maiestate principis; nempe, ipsius epistola, & edicto. Nam cum sibi princeps in rep. aut imperator in exercitu aliquid necessitate extorqueri videt, saltem consulat dignitati suæ; hac ratione, vt, quæ propediem futurum est, vt vi extorqueantur, ea ipse antea concedat edicto suo, aut epistola; ac si non à furiosis, & potentioribus, atque ipsa necessitate expressa sint, sed ab se, suaque liberalitate profisciantur.

*c* Immunes munerum, ac laborum militarum, non censentur immunes hostis propulsandi.

*d* Qui vult alique fallere, non solum ei id quod petit, exoluit, sed id, si potest, duplicat.

*e* Qui quod sibi promissum est in tempus confictum esse putat, is quod petit, id statim sibi curet persoluendum.

*f* Cui duci est suspecta exercitus sui fides, is det operam vt milites quamprimum sacramento adigat.